

bus conculcare magnificè gloriantur. Mihi sanè ab iis non procul abesse videntur: quandoquidem de Supernaturali istò Spiritus S. Testimoniò multa effecta, atque adjuncta proferunt, multaque alia garriunt: cùm interim ejus essentiam atque naturam nusquam proponant, nullibi explicit: & forsan etiam ignorent. Quantacunque enim non tantum sedulitate atque diligentia ipsorum libros percurrerim atque evolverim; sed etiam attentione apud me ipsum quæsiverim, atque alios non tantum doctos, sed etiam indoctos quām plurimos, ut apud se quoque inquirerent, seriò rogaverim; omnis tamen incassum cecidit labor, nec aliquid, quod animo satisfaceret meo reperire potui. Ingenuè sunt fassi mecum non pauci, se nihil præter claram atque distinctam illam perceptionem, ejusque conscientiam, atque in eâ acquiescentiam unquam apud se invenisse, aut aliud quid, cuius verum atque realem conceptum formare possent, apud alios, quantumvis de eō gloriarentur, invenire potuisse. Verūm alii quidem supernaturale quid, ac cæleste se sæpius sensisse, atque in se etiamnum reperire prædicarunt; quod tamen, quando ad exactum accuratumque examen revocabatur, nihil nisi affectum aliquem animi naturalem esse, aut imaginarii fruitionem boni, ex eāque in animo lætitiam redolere, non tantum ego: sed etiam aliquando ipsi liquidò deprehenderunt. Ex quibus omnibus satis superque patere arbitramur, quām fluxò instabilique fundamentò innixa sit hæc sententia; etiamsi argumenta, quibus illam confirmare satagunt, non solverentur: Attamen ne aliquid, quō se defendere possent, intactum relinqueremus, & quod alicui scrupulum injicere posset, removere negligeremus, breviter illa sequenti capite explicabimus & quantarum sint virium examinabimus.

## C A P. XV.

*Expenduntur Rationes, quibus Spiritum S. sacrarum Literarum Interpretem esse, astruere contenti Reformati.*

**S**OLO inter Theologos, quos mihi videre contigit, Whitakerus in Disputat. de Scripturâ S. Controvers. I. quæst. 5. cap. 8. & ex eō Scarpinus in Cursu suō Theologicō, loc. de Scripturâ, controvers. 8. tria proponunt argumenta, quibus probare conantur præter Scripturam, etiam Spiritui S. autoritatem competere S. Literas interpretandi. Et quamvis, ut ferè omnes faciunt, illi conjungant atque misceant jus omnes de fide controversias dijudicandi; nos tamen illò prætermisso ea solum, quæ præsentem quæstionem spectant, excerptemus atque expendemus.

Primum